

III. Notanda et superaddenda videntur sequentia : 1. Magistri et doctores cæteris paribus in assequendis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, aliis præferri debent (1).

2. Ad obtinenda beneficia et dignitates ecclesiasticas, certum est doctoratum, non receptum in publica universitate, non suffragari (2).

3. Sicut Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 24, cap. 12 de reform. hortatur, ut dignitates et plures canonicatus doctoribus aut licentiatis in theologia vel jure canonico conferantur; sic etiam ad alia officia et munera gradum doctoratus requirit et exigit. Unde deplorandum est, in aliquibus universitatibus hodievarias occurrere circumstantias, quæ impediunt, quominus gradus doctoratus et licentiatus pluribus conferantur sicut in Ecclesia Romana, quæ pluribus gradus istos confert, ut Ecclesiæ præscriptis prospiciat : si enim Ecclesia ad plura officia et munera illos præscribat, optandum foret, ut sufficientes reperirentur graduati, qui his omnibus satisfacere valerent.

§ 7. De cantu.

« Quum præcipuum canonicorum et beneficiatorum munus sit » divina officia in ecclesia solemniter canere, tenentur ii sub » lethali culpa addiscere cantum, quo possint munus suum recte » obire; vel canonicatus, et beneficia jam obtenta, dimittere. »

« Alias possunt ab Episcopo ad cantum Gregorianum addiscendum compelli subtractione non solum distributionum quotidianarum, sed etiam fructuum præbendalium. »

« Imo si ex peculiari ecclesiæ consuetudine, statuto, aut foundationis lege, cantus Gregoriani peritia requiratur ad canonicatum » vel ad alterius beneficii consecutionem, qui ea carent, nequeunt » illa obtinere : et capitulum legitime contradicit, si nolit eum » admittere, qui super eodem cantu, prævio examine, approbatus » non fuerit » (3).

(1) Lucius Ferraris *Magister* n. 21.

(2) S. C. C. 5 jun. 1723, § 4 Fan. apud Zamboni *doctoratus*, tom. 4.

(3) S. C. C. 19 Nov. 1735, *Muran. Mans.* § 5 et 6, apud Zamboni tom. 4. *Cantus*; Barbosa de canonicis cap. 13, n. 5 et 6; Scarfantonus lib. 4, tit. IX, n. 43-48; Moneta p. 2, q. XIX, n. 35.

§ 8. De vitæ et morum honestate.

Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII de reform. præscribit ut canonici « vestitu decenti tam in ecclesia quam extra » assidue utantur, ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, » tabernis lusibusque abstineant; atque ea morum integritate » polleant, ut merito ecclesiæ senatus dici possit. »

Oportet igitur, ut canonici ecclesiæ cathedralis vitæ et morum honestate commendentur, pietate præcellant, aliisque sint exemplo; ideoque requiritur, ut immunes sint ab infamia, irregularitate atque censuris (1).

Item pauperes non sunt providendi de præbendis ecclesiæ cathedralis, nisi sint litterati (2). Quid dicendum de statuto requirente, ut canonicatus solis nobilibus conferantur, vid. apud Louvrex dissert. 2, n. 32 et seq.; Scarfantonum lib. IV, tit. XV, animadv.

§ 9. De præcedentia inter canonicos.

I. Si præbendæ sint distinctæ, inter se præcedunt 1^o dignitates, 2^o presbyteri, 3^o diaconi, et 4^o subdiaconi.

Dignitates præcedunt presbyteros omnesque alios, etiamsi in sacris ordinibus constitutæ non fuerint (3). Dignitates autem inter se præcedunt, non juxta receptionem, neque juxta ordinem sacrum, sed ordine per statuta aut consuetudinem introducto et stabilito, videlicet primo loco prima dignitas, secundo loco secunda, et sic deinceps, quocumque nomine appellentur.

Habentes præbendas presbyterales, etiamsi sint juniores, et postea canonicatum obtinuerint, non obstante consuetudine, præcedunt alios habentes præbendas diaconales et subdiaconales, licet hi etiam in sacro presbyteratus ordine constituti fuerint, idque in choro, processionibus, capitulo ac ubique locorum, in omnibus functionibus capitularibus, quibus ut canonici interveniunt, sive

(1) Vid. Garcias de beneficiis p. 7, cap. 8 et 13; Louvrex dissert. 2, n. 42 et 55; Schmitz lib. 1. Decretal. tit. XIV, q. 2.

(2) Barbosa de canonicis cap. 13, n. 3.

(3) S. R. C. 19 Jul. 1738, *Bituntina* 21; 11 Decemb. 1773 *Mazarien.*

fiant cum habitu canonicali, sive sine eo (1). Similiter habentes præbendas diaconales præcedunt eos, qui præbendas subdiaconales habent. In quolibet autem ordine, sive inter presbyteros, sive inter diaconos aut subdiaconos, receptionis ratio servanda est (2).

II. Si præbendæ distinctæ non sint, dignitates equidem, si dentur, omnes alios præcedunt; canonici autem inter se præcedunt ratione ordinis sacri, et non possessionis; atque locum semel acquisitum non amittunt, etsi antiquiores ad eundem ordinem ascendunt; inter æquales autem ordine locum tenent juxta receptionem et captam possessionem (3). Hæc regula generalis dicenda est, et si Sacra Congregatio ab ea aliquando declinasse videatur, quatenus præcedentiam postea ordinato adjudicaverit, id fuit, quia aut consuetudo aut peculiare circumstantiæ aliud exigebant (4).

III. Si omnes præbendæ sint presbyterales, præcedentia competit prius recepto, modo ordinem presbyteralem habeat: in hujus autem defectu competit prius ordinato, nisi alia sit ecclesiæ consuetudo, et canonicus intra terminum a Concilio Tridentino præscriptum ad sacerdotium ascenderit (5).

Not. doctoratus qualitatem non dare præcedentiam supra canonicos antiquiores (6).

De præcedentia canonicorum, qui sunt Episcopi, canonici honorarii aut supranumerarii, vel coadjutores, dicetur propriis locis. Item de optione et de canonicis secundæ aut ulterioris erectionis in sequentibus.

(1) S. R. C. 30 Sept. 1596, *Savonen.* 2; 6 Sept. 1603, *Albinganen.*; 17 Jun. 1606, *Tropien.*; 6 Dec. 1631, *incerti loci* 2; 12 Jun. 1638, *Casertana*; 14 Jun. 1640, *Lunen*; 11 Nov. 1641, *Æsina*; 18 Jul. et 22 Aug. 1654, *Æsina*; 3 Jun. 1662, *Sancti Miniati*; 14 Jun. 1692, *Bituntina*, 3; Barbosa de canonicis cap. XVIII, n. 9.

(2) S. R. C. 5 Mart. 1644, *Dubium*; Pallottini *Canonici* § VIII, n. 60.

(3) S. R. C. 29 Mart. et 27 Sept. 1659, *Urbis S. M. ad Martyres*; 22 Jan. 1678, *Nullius Prov. Baren.*; 5 Mart. 1825, *Terracinen.*; 16 Dec. 1828, *Aquipendien.*; Pallottini *Canonici* § VIII, n. 7 et seqq.

(4) Pallottini ibidem n. 19 et seqq.

(5) S. R. C. 10 Dec. 1619, *Tropien.*; 24 Maji 1659, *Vetiterna*.

(6) Barbosa de canonicis, cap. XVIII, n. 11.

§ 10. *Ratio præcedentiæ in casu optandi aliam præbendam, aut permutandi canonicatum.*

1. De optione prænotanda sunt sequentia: 1. optio est jus quoddam, cujus vigore antiquiores canonici, propria demissa præbenda, aliam meliorem, quæ vacat et reservata non est, intra viginti dies a die vacationis, sive potius illius verisimilis notitiæ, eligere et consequi valeant.

2. Hoc jus competit canonico antiquiori, non ratione muneris sed longioris servitii. Antiquiori autem negligente vel recusante, jus statim devolvitur ad canonicum antiquiorem immediate sequentem.

3. Jus non est canonicis theologali et pœnitentiario optandi præbendas in ecclesia vacantes, quia suis officiis inseparabiliter unitæ sunt præbendæ, nisi tamen hæc tenues forent: tunc enim tenui demissa, iis pinguiorem optare liceret, quæ perpetuo iisdem officiis affecta remaneat.

4. Quoties præbenda canonicatui ita annexa est, atque ab eo inseparabilis, ut per utrumque fiat unum individuum, tunc optio præbendæ etiam tituli optionem ac mutationem necessario præ se fert; si vero unio præbendæ cum canonicatu sit temporalis et revocabilis, utpote quia, firmo remanente canonicatu, ab eo sejungi valeat, tunc priori canonicali titulo retento, bona tantum canonicatus per optionem mutantur. Cum igitur in hujusmodi optione non mutetur titulus canonicatus, sed dumtaxat temporalitas præbendæ; illud omnino sequitur, quod canonicus senior digniorem locum in choro non amittat (1). Adeoque nec auctoritate ordinarii nec nova collatione opus est, atque omne jus habitum retinetur et perseverat.

5. Hoc jus tantum subsistit in ecclesiis, in quibus usus optandi existit, aut ubi a legitima auctoritate introducit. Ubi est abrogatum, redintegrandum non est (2). In præsentis statu Galliæ et territorii reipublicæ gallicanæ prout erat 1801, cum præbendæ consistant in æquali pensione, quæ a gubernio solvitur, ratio aliam optandi vix subsistit (3).

(1) Pallottini, *canonici* § VIII, n. 49-51; De Angelis, *Prælect. Jur. can. lib. III, tit. XI, n. 3.*

(2) Acta S. Sedis, vol. XV, fol. 57-65; S. R. C. 17 Dec. 1675, *Venafrana*.

(3) Vid. Zamboni tom. 4, *Canonici* § VIII; Scarfantonus lib. 4, tit. VI, ani-

II. In casu igitur optionis, si præbenda canonicatui temporali-
liter tantum annexa sit, tunc ille qui meliorem præbendam optavit
et consecutus est, priorem suum locum non amittit, sed retinet,
quia titulus canonicalis non mutatur, et idem jus remanet, ut
supra dictum est; si vero præbenda canonicatui inseparabiliter
annexa sit, priorem locum amittit, et ultimum occupare debet (1),
nisi indulto Apostolico aliud permittatur, vel nisi forte capitulum
ex peculiaribus circumstantiis indulgeat, ut præbendam immutans
antiquum suum stallum retineat (2).

Similiter, qui canonicatum permutat, retinere non potest
locum canonicatus dimissi, sed occupare debet locum secundi
canonicatus (3).

§ 11. *Ratio præcedentiæ ac jurium inter canonicos primæ
et ulterioris erectionis.*

I. In casu erectionis novorum canonicatum, novi canonici ab
antiquis generaliter admittendi sunt ad omnes prærogativas absque
ulla prorsus differentia. Ratio est, quia cum isti canonici sint
vere et proprie tales, et constituent unum corpus, ecclesiam
repræsentans, non debent ab aliis membris ipsius corporis dis-
tingui; sed quodammodo, in sequelam receptionis in canonicos,
debent participare de omnibus juribus et præeminentiis canoni-
calibus, adinstar antiquorum (4); et omnes qui sunt membra capi-
tuli, æquali jure vocis in omnibus capitulariter definiendis frui
debent, etiamsi iidem canonicatus fuerint recentius erecti (5). Non
obstat præjudicium antiquis canonicis inferendum, quatenus eorum
jurisdictio in plures personas diffunditur; quia hujusmodi præju-
dicium non est considerabile, nec attenditur in concursu utilitatis
ecclesiæ, quæ consideratur in majori numero canonicorum et in
augmento cultus divini (6).

madversiones; Barbosa de canonicis cap. 30; Garcias de beneficiis 7 p., cap. XIII,
n. 48 et seq.

(1) S. R. C. 24 Sept. 1842, *Mitten*.

(2) Id innuitur in propositione rescripti S. R. C. 16 Ap. 1842, *Isernien*.

(3) S. R. C. 12 Jul. 1628, *Cassanen*; 15 Sept. 1657, *Sarsinaten*; 11 Junii 1701,
Sutrina; Pallottini, *Canonici* § VIII, n. 42 et seqq.

(4) Ita Scarfantonus cum aliis lib. 1, tit. 14, animadv. 51; Pallottini, *Canonici*
§ IV, n. 1, 7, 8.

(5) S. C. C. 27 Feb. 1768, *Sen*. § 9, apud Zamboni tom. IV, *Capitulum* § XV.

(6) Scarfantonus lib. 1, tit. XIV, animadv. 33.

2. In jure tamen admittitur, capitulum novæ canonicatum erec-
tioni consentiens, adicere posse condiciones sibi bene visas, quæ
justitiæ consonæ apparent, v. g. quod novi canonici non parti-
cipent de legatis, anniversariis aliisque juribus antiquo capitulo
jam acquisitis, quod in negotiis ad interesse antiquorum canonicorum
dumtaxat pertinentibus, vocem non habeant, etc. (1).

Facta in admissione apposita, conditionesque adjunctæ servandæ
sunt; easque Sacra Concilii Congregatio, si ad ipsam deferantur,
modo justæ sint, jugiter etiam approbare solet (2).

Si novi canonici ea admissi fuerint lege, ut subire deberent
onus missarum et anniversariorum, quin tamen percipere possint
respectiva emolumenta, tenentur quidem interesse et satisfacere
oneribus prædictis, sed canonici primæ erectionis eisdem præstare
ac restituere debent eleemosynam manualementem (3).

3. Si autem novæ erectionis canonici, nullis adjunctis conditio-
nibus, pure et simpliciter admissi fuerint, dubium est, num ad
omnia jura, emolumenta et legata capitulo relicta indistincte
admittendi sint. Negant aliqui ob legalem juris præsumptionem,
scilicet quod admissio facta censeatur sine ulla proprii juris dimi-
nutione ac detrimento. Alii distinguunt et dicunt, novos canonicos
omnibus juribus et emolumentis frui, si bona a fundatore relicta
in massam communem conferant, secus vero non. Alii censent
novos nihil differre ab antiquis, illosque gaudere omnibus hono-
ribus, privilegiis et emolumentis, cum aliud in novorum admis-
sione expresse cautum non fuerit. Juxta plura autem Sacræ Con-
gregationis decreta regulariter admittendum est, novos canonicos
gaudere omnibus juribus et privilegiis antiquorum; eos participare
de emolumentis provenientibus ex dispositionibus relictis post
canonicatum suorum erectionem et de emolumentis manualibus
capitulo in dies elargiendis, non autem de illis provenientibus ex
dispositionibus capitulo relictis ante suorum canonicatum erec-
tionem; eosdem capitularibus sessionibus intervenire, vocemque

(1) S. R. C. 9 Aug. 1642 *Lunen*; Pallottini *Canonicatus*, § III, n. 44, 57, 63,
64, 82, 83; Angelus Lucidi de visitatione s. Liminum vol. 3, fol. 204, n. 8; Scar-
fantonus lib. 1, tit. 14 animadv. 36; Acta S. Sedis, vol. XV, fol. 127-132.

(2) S. C. C. 1 Dec. 1703 *Nepesina*; 16 Mart. 1754, *Parmen*; 20 Jul. 1754 *Lau-
retana* apud Zamboni tom. 1, *Canonici* § V, n. 5, 45 et 51; Pallottini loco cit.
n. 68, 70, 71.

(3) S. C. C. 9 Maji 1744 in *Tusculana* apud Pallottini, *Canonici* § IV, n. 151.

activam et passivam habere, præterquam in iis, quæ respiciunt interesse et jura particularia veterum canonicorum (1).

II. Si præbendæ sint distinctæ, obtinentes præbendas presbyterales, licet noviter erectas, præcedentiam habere debent supra obtinentes præbendas diaconales et subdiaconales, licet antea erectas (2). Idem igitur etiam dicendum erit de habentibus præbendam diaconalem respectu habentium subdiaconalem.

Si præbendæ distinctæ non sint, vel in eodem ordine si distinctæ fuerint, novi canonici præcedunt et locum occupant juxta receptionem, sicut antiqui, nisi aliud in eorum admissione expresse cautum fuerit juxta decretum S. R. C. 9 Aug. 1642 *Lunen*, quo decernitur, canonico, de quo agebatur, juxta conditionem in canonicatus erectione et confirmatione appositam, semper et perpetuo ultimum deberi locum.

§ 12. *De relatione et respectu canonicorum et dignitatum inter seipsos.*

Dignitates qua tales præcedentia gaudent, honore canonicos omnes præcedunt, fruuntur privilegiis celebrandi in certis festi-
tatibus, Episcopo assistendi, etc. ut propriis locis dicitur; quatenus autem sunt canonici, sunt sicut omnes alii.

Inter canonicos, si præbendæ distinctæ sint, intercedit ordo dignitatis, quatenus presbyteri dignitate præcedunt diaconos et subdiaconos, et diaconi similiter subdiaconos.

Si autem præbendæ distinctæ non sint, aut licet distinctæ fuerint, illi tamen qui in eodem ordine existunt, præcedunt juxta prioritatem seu receptionem ad canonicatum; hac autem præcedentia excepta, iste ordo prioritatis seu receptionis nullam majorem dignitatem, præminentiam aut facultatem importat; omnes sunt æquales, seniores et juniores, omnes eandem habent facultatem, omnium vota sunt æqualia; senior prius loqui potest, vox tamen junioris ejusdem est valoris. Excipiendus tamen est casus, quo in novorum canonicatum erectione contrariæ conditiones appositæ et admissæ fuerunt, ut § præcedente dictum est.

(1) Vid. Pallottini *Canonici* § IV, n. 84 et seqq.; Zamboni tom. 1, *Canonici*, § V et tom. 4, *Canonici*, § VI; Angelus Lucidi de Visit. ss. Limum vol. 3, fol. 199-209; Acta s. Sedis vol. 7, fol. 691 et seq.; Scarfantonius lib. 1, tit. 14; animadvers. 51 et seq.

(2) S. R. C. 12 Junii 1638 *Casertana*.

§ 13. *De dignitate canonicorum ecclesie cathedralis.*

Canonicorum titulus valde honorabilis in ecclesia Dei (1); et magnus est honor, esse canonicum in ecclesia cathedrali; hujus canonici aliis præeminent clericis, sunt membra nobiliora cleri, cæteris clericis sunt digniores, primum tenent locum post Episcopum inter clericos diocesis (2).

Canonici cathedralis in dignitate ecclesiastica constituti non sunt, nisi late sumpto vocabulo, sed dicuntur clerici primi ordinis (3). In adeo sublimen autem locum evecti sunt, ut in oppositione ad reliquos clericos dignitatem quamdam habere videantur (4). Proprie tamen et stricte loquendo canonicatus ecclesie cathedralis non est dignitas ecclesiastica, quia illi ex ecclesiastica canonicatus institutione nulla jurisdictio annexa est, nec ex natura sua habet prærogativam illam, ut unus canonicus alios antecedit (5).

Præter jura et privilegia capitulo cathedrali propria duplex istius observationis est effectus, videlicet 1° quod Pontifex soleat canonicos in judices delegatos causarum ecclesiasticarum deputare, quum alioquin has vices tantum his, qui in dignitate constituti sunt, concedere soleat; 2° quod capitulum collegialiter congregatum prælati præcedat. Singuli autem iis cedunt, qui dignitate ecclesiastica stricte dicta instructi sunt (6).

§ 14. *De habitu canonicali et choralis.*

I. Canonici officiis divinis in habitu choralis assistere tenentur. Nefas est, sine proprii ordinis insignibus choro interesse, vel sacris ibidem officiis operari (7). Choro sine habitu choralis interesse, sive ratione frigoris, sive aliis de causis, est abusus eliminandus et non tolerandus (8).

(1) Molanus de canonicis lib. 1, cap. 1.

(2) Barbosa de canonicis cap. XVIII, n. 44 et seqq.

(3) Lucius Ferraris canonicatus art. XI, n. 3.

(4) Lucius Ferr. beneficium art. 1, n. 54.

(5) Barbosa de canonicis cap. 19, n. 1 et seq.

(6) Lucius Ferraris beneficium art. 1, n. 55.

(7) Pallottini, *Canonici*, § VII, n. 1-5.

(8) S. R. C. 2 Maji 1871, *Satten*. 1.